CLEMENS VICTORIA

Potentiss: & Sereniss:

VLADISLAI IV.

Poloniæ & Sueciæ REGIS,
Magni Ducis Lithuaniæ, &c. &c.
Victoris, ac Triumphatoris,
Moschorum fortunatiss.

Ad ædem S. ANNÆ, & Aram D. JOANNIS CANTY, in Solenni gratiarum actione, pro felicissimis acerrimi belli successibus, & celeriter receptum Seueriæ Ducatum,

Auctoritate & mandato publico,
Magnifici D. CRISTOPHORI NAYMANOWIC, Medicinæ Doct: ac Profess: Ordin. & Almæ vniuersitatis Cracouien: Rectoris vigilantiss.

A

M. IOANNE CINERSKI RACHTAMOVIO, Collega Min. Ordin. Eloqu. Profess: debito cultu, & submissâ cum animi veneratione, celebrata.

CRACOVIÆ, *In Officina Francisci Cæsarij, Anno D.* 1634.



Viue potens, ſuperatis VLADISLAE, Tyrannis,
O decus, ô Regni præſidiumque Tui.

IOANNES RAPHAEL, Comes à Tarnow.

AD C. IVLIVM CÆSAREM

M. Tullius, in Orat: pro M. Marcello.

NVlla est tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus, debilitari frangiq́ poßit: verum animũ vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. Itaq́ C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem, non solum nostris, sed penè omnium gentium literis, atq́ linguis: neq́ vlla vnquam ætas, de tuis laudibus conticescet: sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore, militũ videtur & tubarũ sono: at verò cũ aliquid clemẽter, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factũ, in iracundia præsertim, quæ est inimica cõsilio, & in victoria, quæ naturâ insolens & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in victis? vt eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus.

In perantiquam Iarandorum Gentem.



Quid fixus capiti gladius superminet atro?
Quodue opus, ingenti pegmate, stemma notat?
Hæresis atra fuge, atq; his te procul eripe ab armis,
Hinc procul, ô procul hinc, hæresis atra fuge,
COŁVCIVS pietate grauis, meritis grauis, almis
Pugnat Pro templis, Hæresis atra fuge.

IACOBVS NAYMANOWIC, Stud. Eloqu.

Perillustri & Reuerendiss: Domino,

D. SIMONI KOŁVDZKI CANCELLARIO GNESNEN:

Custodi Płoceñ. Cracouieñ. Vladislauieñ. Canonico, S.R.M. Secretario, Episcopæ Cracouieñ. in spiritualibus, & temporalibus Generali Administratori, &c. &c.

Domino & Patrono Colendiss.

CLementem Victoriam, vel potius ipsam victricem Clementiã, Sereniss. & Potẽtissimi VLADISLAI Regis, ac Domini nostri Clementiss. Moschorumq; Victoris fortunatiss. quam ad ædes D. ANNÆ, & Aram D. IOANNIS CANTY, in florentiss. Almæ vniuersitatis, nobilissimæq; Iuuentutis confluxu, officioso cultu, & submissâ gratiarũ actione celebrauimus, Tibi Perillustris Domine, lubentes meritòq; cõsecramus. Quanquam enim illa, magis omnium gentium linguis, vocibus, admiratione; quàm hac rudi Orationis impolitæ commentatione celebretur, tamẽ maluimus in illius prædicatione, nostrã eloquẽtiam sufficientem, quàm verò promptam animi pietatem desiderari. Quod tam porro illustre & diuinum ingeniũ, quæ tanta dicẽdi vbertas atq; copia reperietur? quæ luculenter satis & expeditè, tãtam Dei Opt. Max. in nos, nostrumq; exercitum benignitatem, tantam in hostes de-

ſte deprimendo benedictionem, tantam Sereniß. Bellatoris fortitudinem, tãtam celeritatem in rebus agendis, animi conſtantiã in aduerſis, æquanimitatẽ in proſperis, explicare poſſit? Vicit, Reuerẽdiß. D. fæliciſſimus Rex noſter, vicit, ſed ſine triumpho vicit: nimirum triumphum denegauit illi Clementia triumphatrix. Magnũ tamen tantæ victoriæ theatrũ, erectum eſt illi ad triumphũ, cõſpectus Orbis, & admiratio vniuerſi. Non ſolũ n. vincere fortiß. Rex noſter ſciuit, quod prudentiæ, fortitudinis, fælicitatis eſt: ſed etiã victoriâ frui, quod eſt Iuſtitiæ, Clemẽtiæ, pietatis. Non fruebatur victoriâ, vt iacentem opprimeret, vel fugientem perſequeretur hoſtem, ſed quod diuiniùs eſt, vt metu fractum, tabe, languore confectum, miſericordiâ, & benignitate ſuâ erigeret. Eſt itaq; hæc Clemens Victoria Patriæ, nobis, & Academiæ, populisq; Chriſtianis, atque adeò ipſis Moſchis longè gratiſſima. Et Grata quidẽ eſt noſtræ Patriæ, pro quâ vigilantiſſimus Rex, iuſtiſſimis armis decertauit: Grata quoq; Moſchis, qui ſuâ potius temeritate victi, Regis verò clemẽtiâ erecti, & recreati ſunt: Grata populis Chriſtianis vniuerſis, qui ex his primis, ac fæliciſſimis ſucceſſibus, futuram de immaniß: Turca, qui intollerabili faſtu, acerrimo impetu, noſtris inhiat regnis, ominantur Victoriam: cum præſertim contra hunc Spartacum, plenus Spe, plenus diuinis præſidijs, plenus votis & ominibus auſpicatiſſimis, plenus proſperrima Diuorum

Tute-

Tutelarium præsentiâ & fauore, cum fortissimo exercitu, fælicissimus ac potentiss. Rex noster progrediatur: Grata deniq; Almæ nostræ Vniuersitati: quia quo tempore sibi Sereniss. Rex Ciuicas, ac obsidionales Coronas, Manubiasq; triumphales, comparauit; eodem tempore laurum nostram Academicam, desideratißimâ ornare ac communire voluit libertate: dum auctoritate suâ, & sapientiâ propè diuinâ, eò voluntatẽ VRBANI VIII. Pontificis Opt. Max. induxit, vt Diplomate religiosissimo, apudq; omnẽ posteritatẽ sanctiß: caueret, ne studiorum nostrorum quies vllis impetitionibus (absit inuidia verbo) æmulorum interturbaretur; vtq; postliminiò communis illa tranquillitas in Academiam, Charitas in Ecclesiam Dei reuocaretur. Quæ cum ita sint, admitte Reuerendiß: D. lubens, fauensq;, hanc nostrã rudi quidem Orationis penicillo depictã, sed Regis fæliciß: gloriâ immortali, condecoratam Clementiam, quæ vltro se se Tuum inconspectum longè digniß: offert & insinuat. Ad Te enim Reuerendiß: D. hoc qualecunq; literarium, animi nostri pignus spectat, quem matura prudentia, singularis in rebus agendis vsus, & dexteritas, merita pulcherima, labores grauissimi, pro bono Ecclesiæ & Reip. propagãdo, luculentissimè adornãt. Vidit has, in Te Reuerendiß. D. virtutes Sereniß: Rex noster, vidit Sereniß. Princeps. & Eminentiß. Cardinalis IOANNES ALBERTVS, Episcopus Crac. Dux Seuerien: Academia

niæ nostræ Cancellarius longè fauentiss: ideòq; Tibi summã rei, & prouidã hui9 Episcopæ administrationẽ, cõmiserunt: vt Tu Reuerẽdiss. D. absente vtroq; optimo Principe, velut Athlas fortiss. tuis humeris, Orbẽ hunc Ecclesiasticũ fulcires, erigeres, sustineres. Academia verò qualẽ Te, & quantũ rebus in dubijs, experiatur Patronum, sentiunt omnes boni, bonarum partiũ, Ciues, & arbitri desolatæ æquitatis. Iuua, vt cœpisti rem nostrã, illustri consilio, prudentiâ, auctoritate. Tuum enim hoc est magnificum, & eximium munus (absente Sereniss. Rege nostro, qui iustiss. armis, audacẽ persequi conatur Turcã: absente Sereniss. & Eminentiss. CARDINALI, qui nũc officicioss. iter ad SS. D. VRBANVM VIII. suscepit) istã molem curarũ, negotiorumq; grauiss. superare: bona officia secũdũ cuiusq; stationẽ firmare, quæ fluctuãt & aberrant, à recto tramite, ad orbitã reuocare pietatis.

Te penes arbitrium est, & lex, & summa potestas,
Te, Spes, & ratio studiorum, in Iudice, fixa est.

Nos vota nostra, precesq; feruentissimas adijciemus, & debitam apud Deum gloriosiss. instituemus supplicationẽ, vt fœlicissimus, quàm longissimos in annos Ecclesiæ, Patriæ, Academiæ viuas: vtq; in Tua illustri gratiâ, patrocinio, beneuolẽtiâ, studia nostra, & labores propẽsissimi, suauissimè conquiescant. Dat. è Coll. Min. Die 15. Iulij Anno Dni. M. DC. XXXIV.

Perillustri & Reueredissꝰ D. V. deuotissꝰ

M. IOANNES CINERSKI RACHTAMOVIUS,
Coll. Min. Ordin. Eloqu. Professꝰ

CLEMENS VICTORIA.

QVOD precati ſumus à Deo Opt: Max. per merita & ſuffragia Diuorum Indigetum, ac Tutelarium huius Regni florentiſsimi, Magnifice Domine RECTOR, Patres Adm̃: Reuerendi, Doctores clariſsimi, Hoſpites lectiſsimi, Iuuenes nobiliſſ. humaniſsimi Auditores; illis diebus, quibus frequentes & auſpicatò templa adijmus, ſupplicationes fecimus, vota & deſideria feruentiſsima ingeminauimus, id beneficio longè maximo Diuinæ maieſtatis iam tandem abundè ſumus conſecuti. Et fælices illæ quidem noſtræ fuerunt ſupplicationes, fælices illæ preces, quas partim hoc in loco ſanctiſsimo ad ſacros B. IOANNIS CANTII cineres, partim feſto Doctoris Angelici die Diui THOMÆ AQVINATIS, in templo & conſpectu ſanctiſsimæ Trinitatis, ſupplices proſtratiq; cum lachrymis fudimus: ſed fæliciores noſtrorum Patronorum Orationes, quas in Oratorio æternitatis, in Sanctuario immortalitatis, pro Sacra Maieſtate Regia, pro noſtra afflictiſsima Patria, pro

 hoc

hoc imperio amplißimo, pro ſalute & incolumitate Principum, pro robore ac fortitudine militum, pro noſtra ſecuritate, feruentißimè profuderunt, fælicißimamq; nobis à Deo clementißimo benedictionem euocauerunt. Illi S.R.M. fælicitatem, illi exercitui victoriam, illi ciuibus patriæ, pacem & concordiam, huic imperio ab eo hoſte, qui nos noſtrosq; vicinos, grauißimè afflixiſſet, quietē & tranquillitatem impetrauerunt; vt & ſibi maiorem quandam gloriæ & lætitiæ acceſsionem in cælis, & nobis fructum vberrimum in terris, ex his ſuis interceſsionibus excitarint. Impulſus Moſchus, Audit. ad fædera pacis, qui tanta tonitrua, tanta fulmina tonabat, vibrabat, tanta odia, tantos furores ſpirabat, tantas turbas, tantos tumultus concitabat, tantam vim, tantam potentiam crepabat, tantos exercitus, tantum apparatum bellicum contra nos armabat, promouebat, & in conſpectu orbis Sarmatici, magnificè id eſt ſtultißimè iactabat, oſtentabat, vt nos gentemque noſtram vnico propemodum flatu diſsipare, vnico impetu euertere, vno hauſtu abſorbere poſſe videretur! Iam nunc didicit, quid ſit pugnare cum Polonis, proſtituere pacem ad contemptum, fraude doloq; malo eorum arma temerè vellicare vicinorum, quorum iniuriæ vindex iuſtißimus eſt Deus. Quare probo

laudoq;

laudoq́ue hoc veſtrum prudentiſsimum, Quirites Academici, conſilium, quod die hodierna memores tanti beneficij, hanc ad aram ſanctiſsimam D. IOANNIS CANTII, frequentes & alacres confluxeritis, vt Deo Opt: Max: iuſtiſsimam gratiarum actionem perſolueretis, pro fœliciſsimis, tãti tamq́; difficilis belli ſucceſsibus, pro Moſchorum acerrimis impreſsionibus vindicatis, pro incolumitate ciuium ſociorumq́; noſtrorũ conſeruata, pro Smolenſco ab obſidione celeriter erepta, receptoq́ue SEVERIÆ Ducatu ampliſsimo, atque inprimis pro reditu longè deſideratiſsimo Bellatoris ac Victoris fortiſsimi fortunatiſsimiq́. cuius ſalute, noſtra Reipublicæq́; ſalus, & integritas Patriæ continetur vniuerſa. Nimirum hoc veſtræ pietatis officium, DEO victori triumphatoriq́; glorioſiſſimo gratiſsimum, Vobis honorificentiſsimum, huic imperio florentiſsimo ſaluberrimum, Turcæ deniq; deterrimo, qui execrabili in nos odio acerrimè efferueſcit, per quam terribile eſt futurum. Magna ſunt hæc, Audit: clariſſ. ſed attendite quẽadmodum etiam cætera dicam. Sic enim profectò, ſi modò intima tantæ rei momenta penſitaueritis, ſtatuetis, eam victoriam, quam ſingulari Dei clementiſsimi beneficio ſumus conſecuti, gratam omnino nobis, totiq́ue Reipublicæ Polonæ, gra-

tam populis Christianis vniuersis, gratam denique ipsis Moschis, soli stupidissimo & abiectissimo hosti Turcæ ingratissimam esse, & summè odiosam. Neque verò à me floridam & pomposam orationem, qualem omnino aut tanti beneficij magnitudo, aut etiam loci huius dignitas & amplitudo, requirat, & exposcat, expectaueritis Auditores; hanc enim quam proferam dictionem (vt ingenuè quod in re est fatear) summis curis, egestate, laboribus, oppressus & constrictus, breuissimo temporis spatio sum meditatus.

Atque vt inde initium dicendi sumam, vnde hæc omnis victoria laudem accipit longè maximã, meritò omnes DEO victori triumphatoriq; Opt: Max. gratias agere, & habere debemus immortales; cuius beneficio amplissimo, istud bellum, tam insperatum, tam atrox, tam vehemens, tam breui tempore, ad finem optatissimum deductum est: vt omnis ille hucusque susceptus à nobis timor & trepidatio, ingenti tandem gaudio & lætitiâ copiosissimè compensetur. Itaque hæc præsens Victoria eò gratior nobis esse debet, quò nos tristioribus rumoribus afflixit mæror, sauciauit dolor, compressit metus. Dolebamus enim, Auditores, ac vehementer angebamur, cùm toties cum animis nostris, grauissimos casus, formidolosos bellorum e-

xitus,

xitus, Martis aleam periculoſiſſimam, gentis præterea ad mendacia vaferrima, fictum genium, innatas fraudes, dolos, machinationes, ſcelera, identidem recognoſceremus: nec nobis perſuadere poteramus, nec fas eſſe ducebamus, verſari nos in vllo genere ſolatij, Rege ac Domino noſtro clementiſsimo, à nobis, ab hac Vrbe auguſtiſſima, à Regno florentiſſimo, à patriâ chariſſimâ, cum lectiſſimò flore nobilitatis Polonæ, ad Moſchos, ad perduelles, ad præuaricatores perditiſſimos, ad illorum ſceleratam impreſsionem coërcendam, vel auertendam diuulſo, & diſtracto. Quis enim Moſchos in aciem prouocauit? quis illos ad hoc tàm graue, tàmque periculoſum bellum induxit? certè nullus noſter impetus, nulla impreſſio, nulla fraus, ac ne leuiſſima quidem exacerbatio, vel vllius ſuſpiciò doli, à quo gens noſtra vehementer, ob innatum ſibi candorem abhorret. Nullam cauſam Moſchi iuſtam habebant, ad vim, ad prædam, ad latrocinia, ad crudelitatem, ad immaniſsimam Ciuium, ſociorumque noſtrorum lacerationem: tempus erat plenum ſilentij, plenum quietis, plenum læticiæ, plenum ſecuritatis; ob auſpicatiſsimam S.R. Maieſt. inaugurationē, apud nos: apud illos tempus audaciæ, ſceleris, temeritatis. Malebant & inſolentes, & impij, & fædifragi, quàm boni, & iuſti,

 & pa-

& pacis amantes vicini iudicari. Non habet iſta gens crudeliſſima, non habet eam excuſationem, Audit: tempus paci præfixum effluxiſſe, fatis Regis optimi Sigiſmundi Tertij Supremis, ereptum eſſe fædus, Ducem magnum Electum, præſentem ad diem ſtatam non adfuiſſe, tandem illud imperium regere, quod in regno auito & patrio, diademate adornaretur, non potuiſſe. Nempe ſi ita eſt, Moſchi, quid vos tanto hoc annorum interuallo egiſtis? quod obſequium, quem honorem quod officium, Electo Magno Duci præſtitiſtis? quid tãdem ſperaſtis? quid voluiſtis? quid moliebamini? quis erat ardor animorum? quis ſenſus conſiliorum veſtrorum? quid deniq; cupiebatis? quid optabatis? Ocium, ſi Deo placet, à furore, ab amentia, ab immanitate tenuiſtis? Ab annis ferè 20. Auditores, (nam illas veteres inimicitias, & ſimultates omitto) quo ad fædus percuſſum eſt, ardebant odio Moſchi noſtræ gentis inueterato; arma, tormenta bellica, militem, cõmeatum, apparabant, congerebant, fouebant, & ad omnem frangendi fæderis occaſionem inuigilabant: nunquid igitur aliud præter impietatem, ſcelus, temeritatem, amentiam, vocare in culpam, vel incuſare poſſunt? Volebant experiri iſti Gygantes, quantum tandem profeciſſent Marte, quantum

viri-

viribus; quantum operæ, in ſuo illo glorioſo tyrocinio poſuiſſent, quantum deniq́ue inſtructi eſſent robore belli, & apparatu militari. Ergo cùm iam ſibi ſatis exercitati, & expediti viderentur, ad velitationes, ad arma, ad prælium, abſentibus noſtris imperatoribus, & exercitibus, euolant mei Moſchi in campum, prodeunt, ex illis ſuis latebris & ergaſtulis in lucem, procul à domo, procul à patria, procul à ſua Moſchua. Cur ita? vt ſcilicet à noſtris populis, quam eſſent belluli milites conſpicerentur! Centum viginti quinq; millia militum in aciem producunt, munitiones faciunt, propugnacula erigunt, inſtruunt cohortes, armant legiones, obſidionem moliuntur, tentoria collocant, deniq; palæſtram futuro Marti dimetiuntur.

Hic Aiax ſtabit, hic ſæuus pugnabit Achilles.

Laudo, laudo vos ô Moſchi, ſatis egregij eſtis milites, ſatis pugnaces, ſatis fortes, iam viciſtis! quis enim vobis aut poteſt, aut audet reſiſtere? quis progreditur in campum? quis attentat conſerere manus? Omnes in latebris hærent & latent, veſtram à longè virtutem ſuſpiciunt, veſtrum robur, potentiam, fortitudinem, demirantur, & exhorreſcunt! Iterum dico viciſtis: domum migrate, cantate, triumphate!

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis!

Quid

Quid hæretis? quid, aut quem præſtolamini armati? ſcilicet vt vos paucis alloquar? laudo humanitatem! Quæro igitur, bona cum veniâ Nigræ Aquilæ, & Moſchouiticæ Maieſtatis, quæro inquam Moſchi, quis vos induxerit ad iſtud tàm difficile & acerbum bellum? Impedimenta enim (vt verum omnino fatear) iſta video, non robora militum, quæ miſeri vobiſcum trahitis. Itaque ſi perſiſtitis, & huic temeritati indulgetis efferatæ, non falſus vates auguror, vos manet certa nex: Si migratis tempeſtiuè, quod ego quidem vobis (ſi quid apud vos meum poteſt conſilium) ſuaderem, ſine prælio veſtrum ſtuporem vincetis, vos ipſimet de vobis, inermes de armatis triumphabitis. Magna illa eſt, mihi credite, victoria quæ ſtultitiam vincit, magnus triumphus, in quo vincta catenis, ducitur temeritas. Quid? Huc error vos impulit? an iſtum errorem præter belli ſtrepitum, & ardorem, domi, veſtro in Senatu, meliori & mitiori conſilio corrigere ac coërcere non potuiſtis? Intruſit timor; at quis hoſtis territabat? quis à tergo vel à fronte premebat? boni futuri ſpes, & cupiditas vos pellexit? quid verò in pace, quæ bona omnia, ſuo complexu fouet, ac retinet, aut ſperare, aut amplius deſiderare potuiſtis? Vrgebat odium? cur autẽ hoc malo flagrabatis? coarguebat ſcelus,

cogebat necessitas, quæ eiusmodi? quid aut vos ipsi commisistis? aut in socijs commissum deprehendistis, vt vobis vlciscendi arriperetis occasionem? Nimis forsan vrgeo, commoueri videntur Moschi. Itaque ego vos Moschi omni sceleri eximo, & iustissimos aio, & si vultis etiam facio innocentes. Sed si benè vos noui Moschi, nihil in vobis damno præter stuporem, & insaniam, quæ istum vobis insinuauit errorem, auxit importunum terrorem, iniecit fallacem spem, & cupiditatem, inspirauit odium, peperit scelus, aluit & confirmauit temeritatem! Quod enim monstrum aliud vestris in animis proteruiam cōcitauit? concitauit cognata proteruię temeritas! quod vos portentum in cāpum armatos protrusit? protrusit temeritas! Quis malus genius, eam mentem vobis indidit, vt nullâ iniuriâ per nos læsi, nullo damno, nullo incommodo affecti, nullis armis exacerbati, nullâ necessitate coacti, scientes volentesque nos, sociosque nostros, vexaretis, affligeretis, violaretis, hanc ipsam sceleratissimam mentem, vobis indidit & inspirauit, perditissima temeritas. Temeritas vestra pacis fædera, Sacrosancta rupit, temeritas vos perduelles reddidit: temeritas fame & tabe miserum in modum afflixit: temeritas denique tantum vestrum, tamque numerosum exercitum absumpsit

& exhausit. Ac mihi quidem si proprium & verum nomen, vestri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & stupidas mentes vestras tenuisse, vt tantæ impietatis, tantæ perfidiæ, quanta vos occupauisset, testem orbem haberetis vniuersum: tandemque vestris periculis edoceretis, nullum esse flagitium execrabilius hominibus atque Deo, quàm iusiurandi, Sacrosancto more gentium suscepti, violatam Religionem. Sed nimirum Græca vestra ista fides, & scelerato schismate contaminata factio, frangere fædus, violare pacem, prostituere vitam & sanguinem plebis innocentis ad vim, ad cædem, ad interitum, quotidianum iocum, sannamque putat. Nihil apud vos tam sanctum, quod non contemnatis? nihil tam religiosum, & diuinum, quod non perturbetis, vexetis, euertatis. Sed iustissimus vindex & propugnator innocentiæ DEVS, Vestram hanc siue temeritatem, siue superbiam, siue impietatem ita confudit & depressit, vt omnes vestri conatus, omnia consilia, omnes copiæ, omnis potentia euersa, soloque prostrata iaceant. Eam enim mentem Serenissimo REGI nostro immisit, vt nihil vobiscum temerè, nihil præcipitanter, nihil raptim, & turbulentè, ageret: Sed omnia piè, iustè, prudenter, temperatè, summoque cum consilio

ſilio inciperet ac perficeret. O prudentiam, & pietatem fortiſsimi Regis admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentiſq; decorandam! Meminiſtis Auditores, (veſtram enim fidem appello) meminiſtis inquam, Sereniſſimum REGEM noſtrum, non prius iter ad tantum tamq; difficile bellũ apparauiſſe, quàm præſidia è cælo firmiſsima atque maxima, in Baſilica Diui Staniſlai, per tanti Patroni merita & benedictionem ſanctiſsimam implorauiſſet & accepiſſet? cui etiam in pignus honoris & obſeruantiæ ſempiternum, effigiem argenteam conſecraſſet: non prius viæ milites accinxiſſe, quàm illorum animos pietate imbuiſſet, confirmaſſet: exercitum religione inſtruxiſſet, refeciſſet. Itaque nos à nobis, ab hac Vrbe florentiſsima, à patria dulciſsima diſcedentem, votis, & bonis ominibus, etiam cum lachrymis proſecuti ſumus. Quid? an prius etiam pertinacem hoſtem aggreſſus eſt bello? an illum caſtigauit armis? quàm increpuit verbis? an luculenter vt vellet ad ſaniorem redire mentem, non admonuit? Sed hoſtis animi impotens viribus ferox, exultans multitudine, feritate & immanitate ſuperbus, & contumax, hæc clementiſsimi Ducis conſilia, ſpreuit, deſpexit, violauit: arma armis oppoſuit, pro verbis ſaluberrimis, pro admonitio-

nibus fauentiſsimis, minas, furorem, amentiam, obiecit & obtruſit: æquitatem ſcelere, innocentiam diritate, obruere ac temerare conſtituit. Quid faceret cum hoc amentiſsimo genere hominum clementiſsimus Bellator? quid faceret? Militi primò ſeruare ordinem, expedire vigilias, tenere modum in laboribus, non excurrere præcipiti impetu in premendo hoſte, non ſe fauentis Fortunæ arbitrio totum dare, non indulgere genio, mandauit: deinde frangere conatus inſolentes barbarorum, diſtrahere confluentes copias, turbare cohortes, arcere impreſsionem, impedire inſultus, coërcere hoſtium vim & tempeſtatem, propugnacula tentare, foſſas ſaltu penetrare, nũc intra, nunc extra vallum, nunc cominus, nunc eminus experiri fortunam, vibrare tela, conſerere manus, velitationes robuſtiori ſubmiſſo agmine firmare, permiſit: tandem iuſtâ acie & aperto Marte congredi præcepit, erumpere in campum, conferre ſigna, obijcere aquilas, vim vi, milites militibus, viros viris, opponere.

Qua data porta ruunt, & campos agmine complent.
Concurritur vtrinque ſummo cum impetu atq; ardore pugnandi, fremitus animorum, concuſsio armorum, alalagmus Moſchorum, noſtrorum verò militum, generoſus ille baritus, & D. Adalberti

religiosissima, vetustissimaque insonat, & intonat. Testis est toties mons PROCOVIENSIS, ex quo tumidi Moschi, illiq; Boiarij turgidi, turpiter excussi, & præcipites deturbati sunt: testis est fluuius Borysthenes, eorum ipsorum sanguine cruentatus: testis est SMOLENSCVM arx, non minus suis præsidijs, quàm virorum virtute, & ciuium fidelissimorum robore, fortissima, quæ vim & impetum barbarorum, multo tempore sustinuit, fæliciterq; repressit: testes verò sunt, illi colles, illi agri, illæ syluæ, illi campi longè lateq; patentes, qui toties abundè perduellionum cruorem hauserunt. Illud verò cuius est & quantæ virtutis argumentũ, non solum cum hoste acerrimo, sed etiam propemodũ cum natura rerum dimicationem suscepisse?

Frigora sæua pati, rigidis non cedere nimbis,
Ventorum rabiem, tempestàtesq́ sonoras,
Et genium superare loci, superare Triones,
Et septem gelidæ stellas Erymanthidos vrsæ?

Quid ego primum admirer, Audit. quid laudem, quid deprædicem, in Sereniss: Bellatore? an pietatem, & æquitatem in suscipiendo & promouendo iustissimo bello? an patiẽtiam in aduersis, magnanimitatem in prosperis, dexteritatem in agendo, celeritatem in conficiendo, prudentiam in prouidendo, fortitudinem in pugnando, fælicitatem in

vincendo, animum ſuſpenſum habeo! Has enim fælicisſimus Rex, ita Herculeo quodam nexu, coniunxit & conſociauit virtutes, vt omnino difficile, propter admirabilem quandam excellentiam, & ſummam in omnibus poteſtatem, de ſingulis iudicium ſit futurum. Verùm enimuerò, Phormione ſene magis ego delirarem, Aud. ſi auderem de tantis virtutibus Regis fortisſimi, veſtro in conſpectu longè grauisſimo diſputare, quibus non dico ornãdis, ſed vel enumerandis, nulla ſufficiat oratio. Itaque illud glorioſum Iulij Cæſaris ſymbolum meritò forſan poſſem tantæ accõmodare victoriæ: *veni, vidi, vici:* ſed ne inſolentior & ambitioſior videatur vox, tibi potiùs ac iure meritisſimo DEVS glorioſisſime, tanti hoſtis, tam ferocis, tam immanis, tam numeroſi victoriam adſcribo, & concedo perlibenter. Quid enim nos habere boni poſſumus, niſi de tuis manibus acceperimus? Tu Religionem ſanctisſimam, religionem Catholicam, religionem tuis beneficijs, & miraculis amplisſimis cõmunitã, à qua ſemper impio excæcati ſchiſmate, abhorrent Moſchi vehementer in noſtro Rege fortisſimo, in exercitu Polono defendiſti: tu noſtras cohortes, noſtras legiones contra temerarium hoſtem armaſti, promouiſti: tu militum robur auxiſti, fouiſti: fortitudinem erexiſti, confirmaſti. Agnouerunt

perduelliones noſtro in Rege ſum̃am tuam benedictionem, perſpexerunt virtutem, ſenſerunt, & admirati ſunt, animi decus magnanimitatem: itaque non etiam nos de illis, ſed tua vindex Iuſtitia triũphat. Non illi noſtri exercitus viribus depreſsi, ſed tua potẽti virtute, quàm noſtro Regi victorioſiſsimo, noſtro exercitui patientiſsimo, noſtris militibus grauiſsimis malis fatigatis conceſsiſti, accommodaſti; fracti, ſuperati ſunt. Quid vultis amplius Audit. clariſſ. quòd in quiete viuamus fælicitatis eſt: quòd virtute fortiſsimi Regis fruamur, & gloriemur, illius Iuſtitiæ, Fortitudinis, Prudentiæ, Temperantiæ munus eſt: fructus magnorum tanti Bellatoris laborum noſtra eſt ſalus, & incolumitas, Patriæ decus, gentis gloria, nominis im̃ortalitas.

Tanta enim hæc eſt Victoria, Audit. (vt ſemel omnia dicam) vt Rex ipſe fortiſsimus de fortuna, clementia verò de Rege, & victore fortunatiſsimo triumphet: ac ideò non ſolum nobis, ſed Moſchis etiam deuictis, longè gratiſsima ſit. Moſchos quidem fædifragos fortiſsimus Rex, ſed fortior etiam clemẽtia, quæ ſponte calamitoſis & afflictis occurrit, nullius oratione euocata, fortiſsimum vicit Regem. Quantò nimirum Moſchorum temeritas obſtinatior fuit: tantò M. R. benignitas illuſtrior, & in ſumma rerum omnium poteſtate moderatio

diuinior eluxit. Quid tam porrò regium tam liberale, tam munificum (ait Suadæ medulla Tullius) quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate. Attulit opem ſupplicibus clementiſſ. Victor VLADISLAVS, attulit Aud. ad bonam ſpem afflictos excitauit: ſalutem perditis & deploratis reddidit: ſummis periculis perduelles liberauit: armis, temeritate, metu fractos, fame, languore, contagione conſumptos & exhauſtos, extremis pænis ac ſupplicijs meritò deſtinandos, conficiendos veteratores, hoſtes (quis credat) teterrimos, truculentiſſ. qui ad ſorbendum noſtrorum ciuium ſanguinem conſpiraſſent, ac vndiq; confluxiſſent: qui efferatam in nos rabiem, & im̃anitatem ſuam indigniſsimè effudiſſent, euomuiſſent: qui acerrimo impetu, noſtros fines, noſtras ciuitates, noſtras ditiones, vaſtaſſent, vexaſſent, violaſſent: hos inquã tam truces, tam execrandos Patriæ noſtræ parricidas, clementiſſ: Victor VLADISLAVS vltrò & conſultò, vitæ, patriæ, libertati donauit: mærentes refecit, inermes armauit, ſordidatos & ſquallore propemodum confectos adornauit. Quare non mihi quiſquam Alexandros Macedones, C. Iulios Cęſares, Octauianos Auguſtos, T. Veſpaſianos, Antoninos, Traianos, Conſtantinos, Theodoſios, ma-

gnificâ iactet oratione, vel laudibus efferat: illos enim ornabat Clementia, noster Sereniss. VLADISLAVS ornat Clementiam: illi hanc nonnunquam virtutem colebant: noster clementiss. VLADISLAVS semper exercet, semper retinet, ac omnino hæreditario iure posſidet. Hausit eam Sereniss. Rex, ab optimo & hæroicis virtutibus ornatiſsimo Patre mansuetudinem, cæterasque virtutes S. R. M. dignisſimas, quas in annalibus æternitatis, in animis & pectoribus gratæ posteritatis prouida Fama defixas, celebrabit, propagabit. SIGISMVNDVS quidẽ fælicisſimus hâc animi moderatione, in Basilio SVISCIO, in Ioanne & Demetrio fratribus vsus est, vt etiam cum mortuis tantæ monumenta virtutis remanserint: VLADISLAVS verò eandem magnanimitatem in Seyno, Ismaele, Prozorouio cæterisque Boiarijs illis tumidis, & deuicto Moschouitico exercitu luculentisſimè probauit. An quæ maior & illustrior dari Clementia potest? *Non insultare iacenti*

Mallebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: paci non intulit iram.
Post acies odijs, idem qui terminus armis;
Profuit hoc vincente capi, multosq; subactos
Aspera laturæ commendauere cateruæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum

Pronus & in melius gaudens conuertere fata,
Hinc amor, hinc clemens habuit victoria robur.

Quaſi verò meritò clemens Alexander Macædo dici poſsit, apud quem vxor Darij mærore contabuit: nulla conditio Pacis niſi victoriæ cruentæ valuit: ipſe denique Darius Regno vitâq; miſerè ſpoliatus occubuit. Quid Iulium Cæſarem ſummis laudibus celebras M. Tulli, qui varijs prælijs cētum quadraginta duo millia cecidit, trucidauit: ciuilem autem quem pharſalica dimicatione fudiſſet, ſanguinem computare nō eſt auſus? Tantamne in laudibus eius ponis, (vt ſapientiſsimè Plini9 ait) humani generis iniuriam? Nimirum, non ex animi tui ſententia, iſtam te inſtituiſſe commendationem, ſed ex neceſsitate reſpondes. Nimium ingenioſus es, heccine verò grauitas, eſt & conſtantia, viri boni dicendi periti? Iam alios non diſcutiā ſiquidem tantus Orator turpiter hallucinatur. Satis enim conſtat nullum in illis verum Clementiæ decus, nullam intimam indolem, ſed aut fucum, aut inanem oſtentationem extitiſſe. Admirabilis hæc virtus eſt Audit. cuius guſtum infima ingenia non habent, ſuperba & atrocia reſpuunt, diuina & illuſtria recipiunt, & ſanctiſsimè complectuntur. Nihil enim eſt (ait Hieronym9 Oſorius Luſitanus, Epiſcopus Algarbien: lib: 8. de Regis inſtitutione)

in rebus humanis clementiâ, & benignitate, & hominum charitate diuinius. Qui igitur quantum poteſt, hominibus opibus, & ſtudio, & gratiâ conſulit, eſt iam quoddammodo diuinitatem aſſecutus. Animus igitur humanus cum ad Dei ſimilitudinē, quam natura vehementer expetit, Dei ipſius munere, & beneficio peruenerit, quantâ ſuauitate complebitur? quantis gaudijs efferetur? quàm incredibilem lætitiam, ex tantorum bonorum recordatione percipiet? eam certè quam nemo vel vbertate orationis explicare, vel ingenio & ratione cōplecti valeat. Quo autem plures homines ſunt diuini Numinis conſilio, atque benignitate ſeruati, eo maiorem voluptatem capiet; magis enim ad Dei ſimilitudinem accedet.

Neq; verò eſt vlla maior A. & illuſtrior gloria, nulla ſolidior virtutis cōmendatio, quàm quę ab hoſte non exprimitur, ſed ſpontè porrigitur. Magnum eſt pænitendi remedium, ſi hoſtis verè ſupplicet, ſi ſupercilium ponat, ſi ſe cauſamq; damnet. Quid igitur horum Moſchi? Fatentur Aud. ſuas quidem copias, & magnas, & omni apparatu bellico inſtructas fuiſſe; ſed noſtram virtutem, ac fortitudinem maiorem, quod Dei potentiſsimi benedictionem longè maximam poſſediſſet. Nunc ſtupent & mirantur, quomodo tantâ militum multitudine &

 præſi-

præsidis obarmati, prius exarmati, & collapsi sint, quàm sensissent: prius à victoria deflexerint, quàm se victos & superatos intellexissent. Non iam nobis probra, non minas, non maledicta ingerunt, (ô incredibilem mutationem animorum, & vicissitudinem rerum admirandam!) sed laudes cõferunt, congratulationes ingeminant, lætitiam & amicitiam suam abundè contestantur. Non penitus ingratissimis illud quoque damnum animis accipiunt, quod suâ sibi temeritate pepererunt. Non numerant strages, sed condemnant: sibi irascuntur, quod non eadem calamitate perierint, quam simili scelere approbassent: ac denique si vel leuissimum contra fædera, delictum commiserint ipsi sibi pænas districti Iudicis, vltricesq; Diras, & Furias imprecantur. *Audiat hoc Fas, Iustumq́, audiãt Diui Cælites, si nos* (aiunt) *primi fregerimus conditiones Pacis æternæ, si nos hoc sacrosanctum fœdus prostituerimus ad contemptum, nobilissimamq́ gentem Polonam, sociosq́ sollicitauerimus, temerè uel consultò ad bellum: ita nos feri Deus omnipotens vindici dexterâ, prout vales pollesq́: immitte pestem, famem, rixas, dissensiones, tumultus intestinos: nostra nos impietas subitò, quâ clementissimum læserimus Principem, tuo fulmine feriat, perimatq́. Dignus enim es iustissime Bellator,* (attendite Audit. ita Moschi S. R. M.

sunt

ſunt allocuti) *dignus es Sereniſſime VLADISLAE, ut non ſolùm Te gens noſtra honoret, ſed laudet orbis & ſuſpiciat uniuerſus. Non laborauimus equidem, non ſudauimus ingeniis, quod fieri ſolet in tantis periculis tentare, quonammodo dicendo miſericordiam tuam commoueremus: ſed tu prior VLADISLAE noluiſti in miſeria multorum perfugium miſericordiæ tollere. Tua clementia preſtò ſupplicibus adfuit, Tua nobis clementia vitam reddidit, inermes armauit, cum honore militari ad Patrios Lares dimiſit. Periÿſſemus omnes, niſi quidam proterui periÿſſent apud Te: ſed nos à Te victi, per Te redditi ſumus ſaluti, redditi vitæ, redditi patriæ, redditi libertati. Quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo niſi armatus? Ingratiſſimus ille eſt, & hac luce indigniſſimus, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum. Iam tandem credimus, quòd antea audiebamus tantùm, nihil te citius ſolere, quàm iniuriarum obliuiſci. Iam ſentimus ipſi, & experimur, quod cum facilè exorari, tum ſemel ſoleas exorari, quæ virtus Heroum eſt. Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos, Tuum eſt. Fatemur planè fortiſſime & clementiſſime Victor, quod ſentimus, ſi in hac tanta Tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam Tu per Te, per Te omnino dicimus, obtines (intelligimus quàquam Moſchi ſimus quæ loquamur) acerbiſſimo luctu, redunda-*

ret ista victoria. Quàm multi enim essent de victoribus istis fortibus, qui Te crudelem esse vellent: cum etiam victi id nobis meritò accidisse fateamur: quam multi impedirent benignitatem tuam, & Te nollent esse misericordem, quorum nos animos, scelere, perfidiâ, temeritate exulcerauimus; quorum patres, filios, fratres, amicos, neci dedimus. Non eam virtutem à PHILORETICIO experimur cui paremus inuiti. Iam ille multos, quos tu victor iustus, vitâ donasti, Tyrannus impius iugulauit. ISMAELEM cum filio occidit: Socerum suum fustibus contusum extra mare in perpetuum exilium amandauit: SEHYNNVM quem Tu Victor iustus emisisti cum reliquo exercitu incolumem, contrucidauit reducem. Te virtutesq́ Tuas spontè Magne Dux, quem nobis olim summo consensu elegimus in animis & pectoribus nostris fouemus: quanquam confessionem linguæ, timor præcludat manifestus. Quàm crudele seruitutis genus est, intra abominari, palam laudare, benefacta agnoscere, nulla experiri. Sed nostrâ indulgentiâ, & stupore, hæc tyrannis, quo diuturnior est, eò non in odium magis, quàm reuerentiam & metum crescit. Itaq́ alium in patrio Regno Ducem, vel potius Tyrannum: alium Te extra patriam patrem, & multorum populorum pastorem, & defensorem longè benignissimum habemus, honoramus. Si tamen is, qui

nobis

nobis, & patriæ nostræ fauet, extra nos, & nostram patriam manere potest. Nobiscum viuis, & viues Sereniss. VLADISLAE, viues omnino nobiscum, cum Te ex intimis animis diligamus, amemus, honoremus. Non enim si sumus Moschi, & vt multi putant barbari, omnem è mentibus eiecimus candorem: imo nobis integer manet, quo nondum vsi sumus, nec adhuc in vero principe exercuimus? Sed quis satis Tuas virtutes laudare potest, quæ ipsam inuidiam superarunt, nobis quietem, pacem vtriq; Regno reddiderunt? hæc summa principis est laus, petitur hâc cælum viâ. Si quid iste Tyrannus attentauerit furoris, Tuum auxilium implorabimus in aduersis, consilium sequemur in prosperis. I felix, quo Te Dei benignitas, quo Te Tua virtus ducit, fortissime VLADISLAE: I fælix, contra alterum orbis Tyrannum Othomannidem, qui Tuum legatum contra Ius gentium, qui pacem, qui fædera, qui amicitiam Tuam reiecit, contempsit, violauit. Perge, concute barbaros, vibra arma in hostes, promoue victorias, gloriam, imperium: nos Tibi nostrum nunquam denegabimus obsequium: imò sub Tuis Aquilis, in omnem hostem pugnabimus. Erit VLADISLAE potens & illustre nomen Tuum gentibus, quæ veri Dei scientiam non habent, erit Tuis ciuibus, Tuo Regno gloriosum, gratum Deo.

Creditisne Aud. tantas fieri gratulationes ab ho-

ſtibus,(quanquam non iam hoſtes illi nominandi, qui nobis æterno vinculo fæderis & amicitiæ conſociati ſunt,neq; nos amplius illis, hoc nomen ſine ſacrilegio poſſumus obijcere) ſed creditiſne tantas fieri gratulationes à Moſchis, quæ nobis pariant ſtuporem, eliciant lachrymas, excitent lætitiam, eripiant vocem, ſuperent fidem. Quid dicam de omnium gentium, populorumq́; Chriſtianorum, ſummo conſenſu, & voluntate, in his laudibus, & congratulationihus augendis, & amplificandis? quibus illi linguis, quâ commendatione, quibus præconiis recentem S. R. M. victoriam celebrant? Laudant illi profectò Iuſtitiam, commendant prudentiam, extollunt fælicitatem, deprædicant conſtantiam & animi magnanimitatem, cæteraſq́; virtutes tanto Principe, tanto Rege,tanto Victore dignas; ſed inprimis ſtupent, & ſuſpiciunt Clementiam; quam ſolam multi docti,& ſapiētes viri, maximum optimi Principis decus,ac ornamentum iudicauerunt. Quæ itaq; Principum,Regum,Imperatorum opt. potentiſſ. ſapientiſſ. de hac victoria iudicia vetuſtas vnquam obruet? aut quæ delebit obliuio? quæ fortuna, quis caſus, aut quæ tanta poſsit omnium gentium iniuria cōfundere memoriam, vt ſimul gloriam Sereniſſ. VLADISLAI Regis ampliſsimam,in hoc facinore Clementię nobiliſsimo

bilißimo obfuſcet, & obumbret. Gaudet nunc, & ſumma lætitiâ erigitur VRBANVS VIII. Pontifex Opt. Max. & ſuam hoc in filio benedictionẽ ſatis vberem & copioſam, tempeſtiuè floruiſſe recognoſcit: Sentit, videt, intelligit, ſtudia, labores, conatus, S. R. M. in Reip. Catholicæ bonis propagandis, quos Illuſtriſſ. Legatus Georgius OSSOLINSKI eloquentiſſ. & prudentiſſ. Patriæ Ciuis, magnificâ & illuſtri oratione expoſuit: agnoſcit Heroicum animum, qui & Academicæ Palladi defendendæ, & Marti Sarmatico promouendo ſufficiat.

At verò Nos ipſi Aud. quâ lætitiâ efferemur, quibus gaudijs, quibus gratijs, & congratulationibus inſiſtemus? cum præſertim hoc tẽpore ipſo, quo recentem S. M. victoriam celebramus, ingens beneficium, acerrimis diſſenſionibus, odijs, ſimultatibus, ſuperioribus annis vexatũ, & miſerè laceratum, illuſtri gratiâ, conſilio, auctoritate S. R. M. recuperatum, & poſtliminio ad nos reuocatũ retineamus? Iam tandem ſanctiſsima illa animorum conſociatio, & verè Catholica charitas, nobis atque huic vrbi, imo orbi Chriſtiano reſtituta eſt, quæ ab omnibus optimis Patriæ Ciuibus, vehementer deſiderabatur. Quis non doluit, quis ſiccis oculis aſpexit, has ædes Sacras, hæc

domicilia Musarum, has aras libertatis, quas æternitati Indigetes Regni fauentißimi seruant, & custodiunt, quoties inter grauißimos turbines, huius vrbis augustißimæ Ciues nec inimicos suos dignoscerent, & ab amicis etiam timerent. Horret animus meminisse malorum, quæ sustinuimus! Satis constat quàm fuerit hæc grauis & acerba, quæ pro legibus patrijs, & libertate suscipiebatur concertatio. In magnis doloribus quis nisi stupidus, tenere silentiũ potest? quis inter publicos tumultus, rixas, odia, tranquillitatem animi fouere? Cum te vrget externus impetus, timpana auribus tuis obstrepunt, siccæ oculos perstringunt, iudicia mentem terrent, quo consilio miser, illam animi libertatem ingenuam temperabis? quomodo reconditæ sapientiæ mysteria tractabis, quæ ad Dei gloriam amplificandam, ad patriam ornãdam, ad religiosarum Familiarũ receptacula illustrãda, Reipub. integritatem, vitæ sanctitatem, morum dignitatem comparandam, plurimum valent? Quomodo illa præsidia retinebis? vt rudem ætatem, ita instituas, vt neque tuum exemplum ad contemptum, neq; mores ad leuitatem, neq; vitam ad simulationem prostituas, cum sis ipse grauißimis vndiq; simultatibus, tanquã laqueis irretitus? Omnino enim honesto sẽper ocio Musæ aluntur, quietẽ, non ostentationem amant:

opus

opus dignum luce, dignum memoriâ, dignum æternitate, ſecretæ à turbis, & ſtrepitu vulgi conficiũt: procul ab illis ingenijs, velut ab aula Pyrenæi auolãt, quæ turpi ambitione flagrant, in locis puris & innocẽtibus animis habitãt, vbi faciliùs ipſam ſapientiã inuenias, quàm hominẽ! An credim⁹ alibi, quàm in his penetralib⁹ ſecretioribus, viros principes omnes, & illuſtres hauſiſſe eruditionẽ? Quid? Socrares, Plato, Ariſtoteles, quid Pythagoras, cæteræque immortales illæ animæ, quæ doctrinâ & ſũmis virtutibus floruerũt, nonne ſub Academicis vmbraculis, & Lycæi, viridarijs amæniſſimis Muſas educarunt? nonne quietem omnes & animi ſecretiſsimũ ſilentium coluerũt? quietẽ moribus, vitâ, cultu corporis, compoſitione morum, non ſimulatione virtutum approbarunt. Neminem iſta quies ſollicitudine conficit, neminem lædit: nihil ambit præter virtutem, nihil præter dedecus execratur, vero labori intenta deditaque, ſe à fuco, à faſtu, ab oculis hominum eximit, maximamq; in ſapientiæ poſſeſſione collocat voluptatem. At inter ingenia diſparia, magnum feruorem ad ſtudia excitat æmulatio? Senſimus, experti ſumus, ſatis luculenter intelleximus, vberes illius fructus. Æmulationem tu illam vocas, quæ parit odia, fouet ſimultates, producit ſcandala, eripit animis candorem, bonis ſtudijs quietem, ingenijs fidem, lædit

cõmunem charitatẽ? at ego quo illam satis digno compellem nomine non reperio. Vtinã tale monstrum nunquam erumpat in conspectum patriæ, quod tot mala parturijt, tot extinxit bona. An quæ potest esse quies in eo animo, quem inflat ambitio? quæ pietas, quam simulatio tegit? quæ prudentia, quam calliditas attenuat? quæ morum grauitas, quam leuitas inficit? quod acumẽ ingenij quod fastus opprimit? quæ possessio atq; gloria solidæ eruditionis, quam vanitas comitatur?

Sed veteres tandem præstat componere turbas.

Sufficit illa nobis hæreditaria ad gloriosam æmulationẽ cõsuetudo, cum æqualib9 labore cõtendere, sine exacerbatione; industriâ prælucere, sine fastu: modestiâ amorem conciliare, sine supercilio: multa nosse, multa ingenio voluere ac penetrare, sine arrogantia & contemptu aliorum: minimùm de se loqui, cum animi submissione; ingenuo ingenij candore omnes excipere, probri impatientiam, gloriæ honestam auiditatem præseferre; optimos & doctiss. mirari & imitari: atque vt vno verbo complectar omnia, eximio boni Academici amore flagrare: quo commune patriæ bonum promouetur. Quid illa? fractos & depressos literarum alumnos erigere, excitare beneficijs miseros, cum amicis officijs, cum industrijs eruditione, cum inferi-

ſeriorſibus comitate tanta certare, quantam vigor ingenij, venerabili literarum, & virtutum beneficio excitatus, ſubminiſtrare poteſt? Adſit oportet ratio quædam conformatioq; ſolidæ & non adumbratæ virtutis ac doctrinæ, facilis ad compræhendendam omnium beneuolentiam, vt libertatem in vita, auctoritatem in moribus, pietatem in corde retineas: animum à falſis opinionibus, linguam à contumelijs, oculos, aures, ab improbitate retorqueas: omnes denique integerrimi & grauiſſimi viri numeros abſoluas: nunquam inquieto auidoq́; in res nouas ingenio abripiaris, maiorum inſtituta, quaſi Sacroſancta Oracula reuerearis. Sanctum propemodum illud eſſe debet ingeniũ, quod theſaurum fouet Sapientiæ: non diuitijs turgeſcat, non auaritiâ infletur, non vllis cupiditatibus efferueſcat: humana inferiora præ ſe putet omnia: non diffluat luxu, non corripiatur ambitione, non rebus proſperis inſoleſcat, non arduis de ſolida virtutis ſtatione deijciatur: in his conſtantiam, in illis fortitudinem, in omnibus incredibilem quandam facilitatem retineat: ſit denique quantum ad familiaritatem mite & iucundum, quantum ad literas ardens, & ſolidum, quantum ad labores fælix & robuſtum, quantum ad egeſtatem patiens & expeditum. Hæc ſunt quietis Academicæ monumenta, hæc illuſtria decora, hæc orna-

menta excellentis, & eximiæ libertatis. Quare meritò gaudemus omnes Aud. clariss. & incredibili lætitiâ perfruimur: iam tandem aliquādo Musis Academicis vitam, bonis ingenijs vigorem, literis quietem, exedris decus, plebi pacem, Ciuibus faustitatem, templis sanctitatem, vrbi tranquillitatem, huic nobilissimo Lycæo securitatem & vetam libertatem, officiosis nimium operarijs bonam mentem, nobis splendorē, & amænitatē, votis & suspirijs omniū longè desideratissimam, amplissimo beneficio S.R.M. & Sedis Apostolicæ volūtate esse restitutā. *Ergò tibi inprimis Deus Opt. Max. qui charitas es, & omnis tranquillitatis fons & origo, gratias submissè agimus. & habemus immortales, qui eum animum Sereniss. Regi nostro, ac Domino clementiss. inspirasti, vt insolentes illos in vrbe regia motus prudentiâ, & admirabili consilio cöerceret, summū rigorem, atq; potestatem authoritate temperaret, Academiæ denique huius inter bellicos tumultus longè maximos, memoriam, amplissimâ cum beneficentiâ conseruaret, ac retineret.*

De nostris illi ô Deus annis suffice vitam,
Fortior, vt fælix, augeat, imperium

Magnæ sunt Sereniss. Rex & illustres Tuæ virtutes (vt S.M. quoq; Tuam absentem, summa cum sub-

missi-

misiione & animi veneratione alloquar, cuius amplisimo præsentes omnes beneficio perfruimur) *Magnæ sunt inquam Clementiss. VLADISLAE Tuæ virtutes, quas simulac primum fasces imperij & diademata suscepisses, magnis in senatu rebus summâ prudētiâ confectis, contra perduelles probauisti, exercuisti; illorum impetus insperato aduentu fregisti, depressisti; violati iusiurandi Religionem iustâ vltione castigasti; fortitudine denique, clementiâ, fælicitate hostes superasti: sed & Academicam, nobis libertatem, & Nos lætos atque alacres Academicæ libertati reddidisti. Reddidisti nobis nostræ pristinæ vitæ consuetudinem Sereniss. ac potentiss. Rex VLADISLAE reddidisti, & omnibus bonarum partium Ciuibus, ad benè de Academia nostra, omnique Rep. Polona sperandum, quasi signum aliquod erexisti. Perspectum enim est, nobis quidem in multis, sed maximè in præsenti hoc tanto beneficio, Te auctoritatem Tuorum Maiorum, qui integrum ius libertatemq́ue docendi Academiæ concesserunt, memoriamque Magni Regis tui Abaui Vladislai Iagellonis, in summa veneratione atque honore fouisse, & intensissimam in Academicis disciplinis amplificandis, curam & cogitationem defixisse. Ille quidem Tuus Atauus in cælesti Prytaneo constitutus, cum ista viridaria Lycæi reflorescere videt, gaudet & lætatur, quodque fructus tanti beneficij*

neficij amplißimus, ad omnem posteritatem Tuâ auctoritate promoueatur, vehementer exultat. Ex quo profectò intelligis, quanta in propagato & conseruato Reip. bono sit laus, cum gloria tanta in excitato reperiatur. Quare celebrate viri doctißimi, tanti beneficij memoriam, retinete in animis, & pectoribus vestris tantum decus, tantam beneficentiâm: contendite ingenijs, doctrinâ, eloquentiâ, vt posteritas omnis, nos gratos, nos pios, tantæ pietatis fuisse recognoscat. Vos præsertim viri præstantiss. vos decebit pro virili quemq; eniti, vt hanc fortissimi fælicißimiq; Principis gloriam, omni Scriptorum, artiumq; genere celebretis, cum ob reliquas innumerabiles illius virtutes, tum ob hanc quâ proximè, ac liberalißimè nos complectitur, quæque huius est propria Lycæi, quòd tam beneuola est illi, benignaque cura nostri, vt non diligenter modò, sed sollicitè etiam studiorum nostrorum, id est quietis, gloriæ, felicitatisque nostræ habeat rationem. Sed minimè dubito gratas fore Musas Academicas, gratas nostras Camænas, tanti beneficij, tantæ libertatis. Et celebrabuntur quidem Serenißimi VLADISLAI IV. non solum trophæa longè pulcherrima; Ciuicæ, Obsidionalesq; Coronæ, apud seram posteritatē efflorebūt, laureati Fasces, paludamenta, trabeæ, in omni prædicatione

vigebunt:

vigebunt: ſed etiam hæc reſtitutæ literariæ tranquillitatis monumenta. Non ſolum commemorabunt poſteri, vt fuerit depreſſus inſolens temeritate Moſchus, vt fugatus Scythes, caſtigatus armis Othomannides, ſed etiam vt fuerint Ciues Pacis, excitati ad animorum conſociationem. Nulla ætas, nulla temporum diuturnitas, exhauriet tantam, tamq; ſtudioſam, reparatæ Academicæ libertatis memoriam. O magnificum eruditæ gratitudinis myſterium, quæ cultores ac Mæcenates ſuos, annalibus inſcribit æternitatis! Caſimirus ille cognomento magnus, maioribus olim noſtris regnauit fæliciſsimè, qui tanta bona Reip. peperit, tot arces, tot propugnacula erexit, vt meritò ſolus inter principes, nomen Principis magni meruerit: at illius tamen non tam frequens eſt apud nos mentio, atque tua VLADISLAE Rex Iagello, excitator huius Lycæi, atque parens glorioſiſſime. Tibi omnis poſteritas, in acceptis refert, quòd gens noſtra depoſuerit barbariẽ, hauſerit ex literis humanitatẽ, quòd tẽpla decus, vrbes nitorẽ, Ordo Equeſter ſplendorem, Senatus prudentiam, agri deniq; iſti Poloni, admirabilem quandam, ex tuo beneficio receperint amænitatem. Viget Candor in animis, abeſt fucus à moribus, adeſt Senator conſilio potens, deeſt ſimulator callidus, o-

mnia plena gloriæ, plena illuſtris Famæ, ex hac tua ſtudiorum,& Academiæ erectione,ad nos,& tuam poſteritatem,copioſiſsimè promanarunt. Tibi nos debemus D. IOANNEM CANTIVM, ſydus noſtrum,Patronum noſtrum eximium,parentem pietatis, authorem eruditionis, prodromum ſanctitatis, Tutelarem, & Indigetem huius Domicilij,& Imperij florentiſsimi. Durabunt hæ pietatis aræ, hæc templa Sapientiæ, dum illius memoria, nomenque manebit: imò tuum quoque ſimul decus durabit,quòd illius,tuo beneficio virtus illuſtrior ſit: nulla ætas veſtrarum laudum prædicationem conticeſcet. Omnis poſteritas denique celebrabit Tuum abnepotem Sereniſſ. noſtrũ VLADISLAVM, ob ſolidam Virtutum Tuarum Imitationem: laudabit illius in hoſtes deuictos Clementiam, deprædicabit & ſummis efferet laudibus, in conſeruandis, & exornandis Studijs Academicis, admirabilem pietatem, & ſummâ veneratione beneficentiam dignam.

Sed nos repentè,dum de maximis beneficijs verba facimus,grauis terror opprimit Aud. Ille,ille immaniſſimꝰ Tyrannus Turca, inflãmatus furore, ardens iracũdiâ,cõpulſus amentiâ,ingenti cum exercitu, noſtrum Regnum inuadit: eiaculatur odia, concrepat iras, vim maximam, lanienas inauditas,

extremum excidium nobis, noſtroq; Imperio minatur, & intentat. Octingenta tormenta bellica (quis credat!) itemque quadraginta alia vaſta, & ingentia, ad expugnandas, & diruendas noſtras vrbes ſecum trahit: Iam conſceleratiſsimum Abaſi Baſſam, colluuiem Scythicam pernicem illam, & truculentam, ab omnibus partibus, quàm celerrimè ſubmittere iuſsit: Lupulum Valachiæ principem, ſuos ſibi liberos, fidei obſides, mitteret, & paratũ viginti millium præſtò haberet exercitum, imperioſiſsimè monuit. Quam multa ſunt quæ nos terreant Aud. Nam de apparatu noſtro bellico, quid aliud dicam, quàm quod languidus ſit, & intempeſtiuus, & rapinis, lachrymiſque hominum egentiſsimorum inſperſus, & infectus? At vos Ventres, bibones, Thraſones, vaccipetæ, gallinipetæ, quouſq; tandem in his pagis, & oppidis, colonis miſerrimis inſultabitis? quem ad finem ſeſe effrænata iactabit audacia? Ideone vos, vigilantiſsimi Patriæ noſtræ defenſores, iuſtis præmijs, & Stipendijs, ornarunt, auxerunt, inſtruxerunt, expediuerũt, vt hic in maximo Patriæ diſcrimine languidi, & ocioſi hæreretis? rapinis per ſummam audaciam indulgeretis? Non vos terribile illud mouet rapacis & violenti militis ſupplicium quod lib. 9. noſter Hiſtoriographus ſummâ fide recenſet?

censet? Non rem verbis exaggero, nolo extremam hominis calamitatem, horribili dictionis fragore, terribilem reddere, ipsum Cromerum audite. Homo inquit quidam splendidus, & equestris ordinis, sed violentus, & rapax, & suis iuxtà ac alienis hominibus grauis, cùm grauiter ægrotaret, admonitus crebrò, à religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti consuleret, negauit, sibi ueniæ locum relictum esse: Iam se diuino iudicio, traditum esse dæmonum potestati. Nec mora, audiuntur à circumstantibus, vehementium verberum, & percussionum strepitus, apparent in corpore ægroti fædi liuores, atq; vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hęc ille infælix, nullam vocem, nullumque gemitum edens, ter infælicem animam exhalauit: hîc orsus supplicia, quæ deinde apud inferos, æternùm expenderet, vt esset exemplo ijs, qui ex aliorum incommodis, student sua commoda parare. Equidem perhorresco, rapacissimi homines, dum sacras quasdam sudasse imagines, emisisse lachrymas, stillasse sanguinem recogito, ne vestram multorumque Ciuium portenderint vltionem. Itane verò pugnatur? Istinè sunt hostes? miseri coloni, quibus escam ab ore extorquetis, sanguinem è corpore exhauritis, vitam propemodum ipsam

in regno

in regno Patrio, eripitis? Nimirum nunc nimium fortes, nunc animoſi eſtis? iam tandem properate in hoſtem, arma ſtringite, præſto adeſt, in finibus, vobis ſe ille oftert, quid hæretis? quid trepiditatis? pugnandum eſt, fortiter pro Patria vobis, aut vincendum, aut moriendum eſt. iubet vigilantiſſ. imperator. Plus apud vos valet boum, aut vaccarum boatus, quam tuba militaris, aut claſsicum bellicum? Ite, ite, miſeros agricolas non affligite, parcite Ciuibus exhauſtis: ſatis rapinarum eſt, laboris veſtri, & induſtriæ nihil. Ideò frequenter extremum vos manet exitium, quòd fletus, ex lachrymæ, expeditionem veſtram, comitentur. Quis veſtrum non exh orreſcat Aud. quis animo, & omnibus artubus, non contremiſcat? Dum ſuperioribus annis, in Oſmanum pugnauimus, alter noſter exercitus, campos omnes hoſti præoccupauit, alter ex domeſticis copijs coactus, qui ferebat celeres ſuppetias, præſtolabatur ad nutum Principis: nunc hoc ipſum facit Turca, multis exercitibus, ex omnibus populis, & gentibus cōflatis, obarmatus, & circumſeptus! noſter exercitus loco commodo, & ſatis tempeſtiuè, caſtra metatus eſt; nunc hoc ipſum facit Turca! noſter exercitus, omnes aditus, omnia littora, præcluſit hoſti: nunc hoc ipſum facit Turca, qui Danubium ponte

 ſtrinxit,

ſtrinxit, tormenta bellica, & omnia impedimenta præmiſit: Noſter exercitus, Comeatum, & alimenta ſufficientia ſibi parauit, deinde vndiq; locorum, longè latèque quò iturus erat hoſtis, ſegetem omnem, & gramina contriuit, vt hoc ferè ſtratagemate vicerit: nunc in eò ſtratagemate, ingenioſiſſimꝰ eſt Turca, vt omnino nos noſtra virtute, noſtro ingenio, noſtro conſilio opprimat, & oppugnet.

Sed quid ego, iſtam Tibi generoſe Polone ingero trepidationem?

Degeneres animos timor arguit, at tibi conſta
Intrepidus, nec te clamor, plagæq; ſonantes,
Nec matutinis agitet formido ſub horis,
Nec veſpertinis moueat trux Spartacus vmbris.

Properate ſub ijſdē Aquilis auſpicatiſsimis, fortiſsimi & feliciſsimi Regis veſtri, properate Poloni, eadem Vos virtus, fælicitas, & diuina benignitas comitatur. Si quid peccatū eſt audaciâ, Deū clementiſſ. placare pænitentiâ, fortunam iuuare conſilio, errorem cóèrcere fortitudine tarditatem, celeritate ſuperare, portenta hæc, ac prodigia, quæ vos terrent, animi ſubmiſsione auertere, in melioremque partem temperare debetis. An illa ex mentibus veſtris effluxerunt prodigia, quæ nobis calamitoſiſsimus ille pepererat annus, quo cum Turca furioſiſsimo in Valachia armis confliximus? quo al-

terum Imperatorem morte præcipiti, alterum immani ſeruitute præreptum plorauimus, doluimus? & ad ipſam propemodum extremam deſperationem adacti, nihil niſi fatum expectauimus ineluctabile? qui tum terræ motus, quæ tonitrua, quæ áëris commotiones exaudiebantur? quæ viſebantur noctibus obſcuris faces? quæ volantes aquilæ, concurrentes columnæ? vt hæc omnia, nihil niſi cædes, excidia, & totius imperij triſtiſsimum occaſum protenderint? Adfuit tamen nobis in tanto mærore, in tantis periculis, atq; timore, clementique auxiliator Deus; ad fuit miſericordiæ indulgentiſsima mater: adfuerunt D. Indigetes præſentiſsimi, qui ſuam, in nos, non obſcuris teſtati ſunt propenſionem argumentis. Et hoc ipſo tempore Turca vobis iſtam inuidet victoriæ acceſsionem, itaque frendet, ringitur, tabeſcit, etiam

Rumpatur, ſiquidem rumpitur inuidiâ.

Magnum iſtud noſtrum bonum eſt, quod iſte Tyrannus execratur; magna noſtra fælicitas, cui iſte latro inuidet, magnum noſtrum malum, magnum dedecus, quo iſte parricida recreatur. An timetis eum hoſtem, quem toties, diuinâ virtute obarmati viciſtis; à Patria veſtra auertiſtis, abegiſtis, fugaſtis? fregiſtis OSMANVM, repreſsiſtis Abazi Baſſam, hunc ipſum, audaciâ & temeritate iuueni-

li, fe-

li, ferocientem puerulum Tyrannulum, cui virgæ expediendæ essent ad plagas, exhorrescitis? Quam ferox sit & truculent⁹ in suos accipite. Supremū Religionis superstitiosæ arbitrū, quòd sibi periculosū istud nobiscū prędiceret bellū, trucidauit: matrem blādissimè eadē de re, cur scilicet armis innocuam turbaret gentē, inquirentē, ferro læsit: multos suos Bassas iugulauit, exulcerauit multos, alios à conspectu remouit suo, alios in exiliū perpetuū amādauit, infinitos opib⁹, honore, vitâ priuauit. Quā eius vim deprimat, & coerceat Persa, quæ damna, & incendia excitarint nostri milites, leuioris armaturæ, in illius regno, nemo nescit. Nunc in Hungaria, perdidit arcem Philek potentissimam, ad Sendorow cladem accepit turpissimam, amisit Vaczow propugnaculum famosissimum: nihil illius doli, nihil stratagemata, nihil sceleratæ profuerunt machinationes. Ecce se se effert, ex illis suis latebris & ergastulis, plenus minarum, plenus furoris, plenus amentiæ: nihil consilij vultus spirat, præter immanitatem, nihil oculi pudoris pollicentur, præter libidinē, nihil mens fouet rationis, præter fraudes, dolos, perfidiam: trahit gentes, vastitate corporum fædas, & imbelles, linguis varias, & confusas, moribus dispares, & discrepantes: nullus illis ardor adest ad pugnam: animus ad fugam spectat paratus.

tus. Nofter cōtra hunc Tyrannū VLADISLAVS ardentiſſimo animo & paratiſsimus exercitu progreditur,& quod ſufficit dicere bellator talis ac tātus! plenus victoriâ,& gloriâ recēti, plenus animi, plenus cōſilij,plenus diuinæ benedictionis! robore corporis & animi præſtās, virtutib9 illuſtris, fælicitate eximius, Aſpicite nunc animis nunc, ſi placet vtriuſq; Fortunam, quæ opportunitatē rei gerēdæ ſummam auget. VLADISLAVS Sereniſſ. virili ætate, conſilia promptiſsima, & manū, procurationibus bellicis adiungit: Tyrannus ille qui pueritiā nondū exceſsit, præcipiti impetu,& temeritate fertur: quicquid Turcici roboris fuit in Ianiſſaris, bello abſumpſit Perſarū Rex diuturno: Poloni exercitus vires,& gloriā auxit, &illuſtrauit Sereniſſ: noſter REX, recenti Moſchouitico bello glorioſus. Quid ſupereſt, in quo Spem noſtrā ſecundū Deum figamus,niſi in Sereniſsimi VLADISLAI, fortunâ, & virtute? Ille Liuoniam feraciſsimam, ille Valachiam populoſiſsimam, tanto tempore, ademptas nobis ditiones recuperabit, legib. nobilitate, libertate, firmabit: ille gloriā nominis Poloni,vltra Sauromatas,& glacialem Oceanū (ô nomina ad dedecus olim, nunc ad memoriā nominis ſempiternam, nata) promouebit, amplificabit: ille inuriam Vladiſlai, qui fortiſsimè cecidit ad Varnam vindicabit: ille hunc Tyrannum,quid

 ſit fran-

sit frangere fœdera rumpere pacta, prostituere legationis auctoritatē ad contemptū, edocebit. Fauebit illi Regina Poloniæ, (hoc enim ipsa sibi Virgo genitrixq; Dei elogiū, illustri quadā apparitione, cū ad Chocimū pugnauimus, assumpsit & adiudicauit) aderunt D. Cælites: aderit præsentissimū magni Triūphatoris Dei auxiliū: aderit Persa (vt præsidia quoq; terrestria & auxiliatrias copias videamus) virib⁹ infractus, religione propè Catholicus: aderit Moschus fœdere sanctissimo obligatus: aderit Hungarus, vicinitate nobis, & amicitiâ coniūct⁹.

Quid? an etiam nos frustra publicas suplicationes, hoc tempore Sacri Iubilæi fecimus, cum nostris noxis, diuinâ gratiâ sumus expiati? Instruamus ergo aciem, contra hunc barbarum: opponamus sanctos nostros Patronos, ab omnibus imperij partibus: siquidem ab omnibus partibus, nos, nostrumque Regnum se aggressurum, minatur. Tueantur istā nostram Vrbē, atque hanc nationem, non tam multitudine, & opibus, quàm fortitudine, vel potius Dei benedictione, gloriosam, ij Indigetes, & Præstites, quorum hìc Sacra quiescunt ossa: *D. Stanislaus, Venceslaus, Hiacyntus, B. Pater Ioannes Cantius, Prandotha, Simon Lipnicius, Isaias Boner, Stanislaus Casimiriensis*: præterea *Kinga, Heduigis, Salomæa,* cæteræq; Sanctis-

simæ

ſimæ illæ animæ, quas enumerare omnes operoſum eſt. Defendant Principes, *Caſimirus*, & *Gedrocius*, à Septemtrione patrium ſolum, qui multis miraculis, & beneficijs, in ſummis periculis inclaruerũt: ab Occidente *D. Adalbertus*, & *Gaudentius*: ab Oriente *Florianus*, miles fortiſsimus aſsiſtat, & inuigilet, noſtram enim gentem ſibi elegit defendendam: *Ladislaus* à *Gelnow* auſpicatiſsimi nominis & ominis, Hungaricum impetum cóërceat: *Ioannes Duclẽſis*, ſui *Capiſtrani* vim, & ſpiritũ imitetur. Adſint deniq; noui Patroni & Indigetes, *B. Innocentius Cadłubinus*, Singularibus hoc tẽpore beneficijs inſignis & eximiꝰ: *B. Iozaphatus* Archiepiſcopus Połocẽſis, cuius martyriũ & merita recẽtia vigent. Iam inſtructa acie pugnemus, contra Othomannidem, certiſsimamq; rem, ſummâ animi cum ſubmiſsione, teneamus, hoc beneficio, quod diuinâ benignitate, de Moſcho recepimus, iacta eſſe fundamẽta, omnis libertatis, omniũ victoriarũ, omnis gloriæ, & quod ampliſsimum decus eſt atq; gaudiũ noſtrũ, Religionis Catholicæ propagatæ, & propagandæ. Hoc pro beneficio, ſolennem gratiarum actionem inſtituimus, mente, voce, cantibus feruentiſsimis, læti & alacres ingeminamus:

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur:
Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Ad Almam Acad. Cracouien.



F Vnde salutiferas fœlix Academia voces,
Iam finem belli Moschus inermis habet.
Inde senes, matres, pueri, innuptæq; puellæ
Victori, laudes dant sine fine, Deo.
Iam spolijs incedit onustus miles opimis,
Rursus, & infractas, vibrat in arma, manus.
Iam Patrias, intrat Rex clementissimus, vrbes,
Ciuibus ingentem lætitiamq; mouet.
Hoc pariter cum, fortis Eques, Sapiensq; Senator,
Bellum consilijs acribus ingeminant.

Victo-

Victoresq; mouent Aquilas, te Spartace contra,
Spartace lunatis ambitiose sagis,
Spartace, fœmineis nimium legionibus audax,
Spartace, robustis excutiende viris.
Spartace, nostrorum diues discordibus armis,
Spartace, concordi fœdere, pauper, inops,
Spartace, quò frustra tendis furialibus ausis,
Spartace, te vincet Sarmata victor ouans,
Spartace, Victori audes, contra insurgere Regi,
Spartace, iam certum te manet exitium.
Spartace, Stultitiæ monstrum, cuî lumen ademptum
Iudicij, propera, quò tua fata trahunt.
Funde salutiferas fœlix Academia voces,
Vt trux finem habeat Spartacus Imperij.

ADAMVS GEORGIVS OSSOLIŃSKI
à Tęczyn Succamerarides Sandomirien.

Christophorus Varszeuicius, Canonicus Cracouień. Turcicam XIV. sic concludit.

MVlta quidem bella, aut ratio concordiæ sustulit, aut prosequendi difficultas restrinxit, aut tempus, & necessitas ipsa mitigauit: hoc vnum Turcicum bellum, nec sine periculo potest, neque sine Dei hominumque iniuria debet; vel segniter geri, vel ad aliquod tempus intermitti, vel sicuti grando aliqua, in alieno agro, pereuntibus socijs, ociosè inspectari.

Stanislaus Orzechouius, ad Equites Polonos, in Oratione, de bello aduersus Turcas suscipiendo.

Illa, illa sunt vestra ornamenta Equites, ille est virtutis vestræ, atq; gloriæ Campus, Valachia, Moschouia, Russia, Hungaria. Harum prouinciarum victorijs, atque trophæis, nobilitata est Virtus vestra, & in ista honoris atque dignitatis sede, Regum vestrorum testimonio, collocata: sicque ornata ab illis est, vt Reges non Ciues, domini non subditi, huius Reip. esse videamini. Et tu tamen tot exemplis nobilitatus, tot testimonijs, maximorum Regum illustratus, abdes te in otium? latitabis in syluis? hostem negliges? stationem relinques? Imperatorem deseres? arma etiã ne quod belli signum domi tuæ fortè sit, conuertes in vomeres? viues cum Iudice? Causidico seruies? Commissarium Sectabere? & cum hac cohorte, vicini insidiabere agro? & tanquam in hostico, in ipsius fortunis impunè graßabere? Et adhuc ô bone custos iuris publici, pacisq; Communis, Equitis tibi vsurpabis nomen, cum tuus equus nunquam in acie fuerit, nunquam castra, nunquam hostem viderit: sed semper in dolore & gemitu Ciuium tuorum sit versatus? & cum tu postremo ipse, pecuniâ aratoris tui, vendideris of-

ris officium nominis, atq; militiæ tuæ? Non sic maiores nostri, Equites, non sic. Nunquam illi mercenario milite defendebant patriam, nunquam imperatâ pecuniâ; & breuiter, vitam illi prius, quàm officium relinquebant, quare in hoc vno occupatis, raræ erant lites, iudex rarus, commissarius, Causidicus, ferè inauditus.

Nicolaus de magna Concice MNISCHEK, Palatinides Sandomirieñ. in oratione quâ rumpendum esse fœdus cum Turca ictum, suadet.

IPsa Patria si disertâ voce alloqui vos, atque affari posset, nonne hoc pacto vos compellaret? O vos erga me ingratos, & incautos infortunij vestri! Vos immemores religionis vestræ, quid rerum geritis? quid in salutem cõsulitis, an expectatis, dum hostes præparati imparatos inuadant, prouidi improuidos opprimãt, armati inermes iugulent? expectatis dum per inanem metum, qui animis vestris insidet, regimen Polonicum, ex manibus vestris eripiant? En habetis hostem non procul nostris præsidijs submotum, habetis in antiquis finibus auitæ ditionis. Non commeministis Moldauiam, Valachiam, Transyluaniam, certissima horrea fru-

rea frumentaria, patuisse Othomanis, interclusa Polonis, & Christianis citerioribus. Ecce eisdem in terris, quas fædere vobis interceptas, dum possidet, & non nuper admodum sibi ademptos populos miserrimè vexat, oppida aut defensa expugnat, vel relicta suis insidet præsidijs, aut pagos, fugâ agrestium desolatos incendit, ad vos viam struit, aperit, munit. Vos verò (tanta est amentia, tam cæcus hominum furor) quasi hæc minimè attingant, non sentitis, non videtis; aut si sentitis, per socordiam contemnitis. Non sic maiores nostri, non sic, in omnes Reip. partes intendebant: sed colonus fruge, miles armis, exemplo Sacerdos, operam in remp. probabant suam.

Impensis ex fundatione perpetua Generosi olim Domini Bartholomæi Nowodworski, Equitis Melitensis, S. Ioannis Hierosolimitani, Cõmendatoris Posnanieñ.

nterclusa
e eisdem
um pos-
otos po-
ensa ex-
t pagos,
os viam
t amen-
minimè
sentitis,
maiores
inten-
mis,

rosi olim
Equi-
imi-